CONCIO AD CLERVM

IN SECVNDI, VEL QVARTI, REGVM, CAPITIS SEXTI, VERSVM PRIMVM, SECVNDVM, TERTIVM, ET QVARTVM.

Habita in Templo B. Mariæ Oxon.

Iunij 25°. *Ann. Dom.* 1612.

PER IOANNEM DAVVM BACCALAVREum in Theologia, et Collegij ORIELENSIS apud Oxonienſes Socium.

EDITIO SECVNDA.

Auguſt. Cont. Literas Petil. l. 3. c. 11.

Quid mirum, ſi cum Grana de Area Dominica excuſſa, ſimul cum Terra & Palea introrſum traho, iniuriam reſilientis Pulveris ſuffero? Vel cum Domini mei Oves perditas diligenter inquiro, ſpinoſarum linguarum vepribus laceror?

OXONIÆ,

Excudebat Ioſephus Barneſius, 1615.

VIRIS IN CHRISTO SIBI REVERENdis, Præfectis *Collegiorum*, & *Aularum* Primarijs, Concionem hanc ſuam *Ioannes Dayus* Dat, Dicat, Conſecratq; *Videlicet*,

11 D.D. *Goodwyn*, Doctori in Theologia, *Ædis Chriſti* Decano.
15 D.D. *Langton*, Doct. in Theol. *Collegij Magdal.* Præſidi.
9 D.D. *Rynes*, Doct. in Theol. *Collegij Novi* Cuſtodi.
1 D.D. *Hovenden*, Doct. in Theol. *Coll. Omnium Anim.* Cuſtodi.
Domino *Henrico Savile*, Equiti Aurato, *Coll. Merton.* Cuſtodi.
12 D.D. *Spenſer*, Doct. in Theol. *Coll. Corporis Chriſti* Præſidi.
10 D.D. *Ayry*, Doct. in Theol. *Coll. Reginæ* Præpoſito.
13 D.D. *Lawd*, Doct. in Theol. *Coll. D. Ioannis Præcurſ.* Præſidi.
5 D.D. *Kettle*, Doct. in Theol. *Coll. Trinitatis* Præſidi.
6 D.D. *Singleton*, Doct. in Theol. *Coll. Æneæ-naſ.* Principali.
2 D.D. *Blencow*, Legum Doct. *Coll. Orielenſ.* Præpoſito.
3 D.D. *Kelby*, Doct. in Theol. *Coll. Lincolnienſ.* Rectori.
14 D.D. *Bancroft*, Doct. in Theol. *Coll. Vniverſ.* Magiſtro.
16 D.D. *Prideaux*, Doct. in Theol. *Coll. Exonienſ.* Rectori.
4 D.D. *Abbot*, Doct. in Theol. Profeſſori Regio, *Coll. Baliol.* Magiſt.
8 D.D. *Williams*, Doct. in Theol. Decano Bangor, *Coll. Ieſ.* Princip.
7 D.D. *Wright*, Doct. in Theol. *Coll. Wadham*, Gardiano.

D.D. *Rawlinſon*, Doctori in Theol. *Aulæ S. Edmundi.*
D.D. *Budden*, Legum Doctori, Profeſſ. Regio. *Hoſpit. Novi.*
M. *Georgio Summeſter*, Baccalaureo in Iure Civili. *Aulæ Latip.*
M. *Ioanni Hawley*, Baccalaureo in Iure Civili, *Aulæ Gloceſt.*
M. *Rodolpho Bradhill*, Magiſtro in Artibus, *Aulæ S. Mariæ.*
M. *Henrico Mayſters*, Magiſt. in Artibus, *Aulæ Albanæ.*
M. *Theodoro Pryce*, Magiſt. in Artibus, *Aulæ Cervinæ.*
M. *Ioanni Wilkinſon*, Bacchal. in Theol. *Aulæ Magdal.*

Principali.

13 Collegiorum
10 *bis Series ſe-*
cundum eum
7 *Ordinem quem*
9 *ex illorum dig-*
3 *nitate ſtatuit*
12 Academia.
6
15
14 *Numeri Aritho-*
11 *metici ab altera*
1 *parte huius Pa-*
8 *gine*, Docto-
1 rum *Prioritа-*
4 *tem tempore: ab*
2 *iſta verò*, Col-
16 legiorum *Or-*
17 *dinem notant.*

THEMA.

Dixerunt autem Filij Prophetarum ad Eliſeum, Ecce, locus in quo habitamus coram te anguſtus eſt nobis. Eamus uſq; ad Iordanem, et tollant ſinguli de Sylva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum, qui dixit, Ite. Et ait unus ex illis, Veni ergo & tu cum Seruis tuis, reſpondit, ego veniam. Et abijt cum eis, quumq; veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna. Secundi, vel Quarti, Regum Cap. 6. Verſ. 1. 2. 3. 4.

APVD *Filios Prophetarum* & *Eliſeos* concionanti, id eſt, apud Cœtum veſtrum tum *Prophetieum*, tum *Academicum*, [a] Beatiſſimi *Patres*, *Fratres* Sanctiſſimi, quæ Materia mihi ad argumentum ſubiecta potior, prior ad diſſerendum, quàm de Propheta *Eliſeo*, et *Prophetarum Filijs*. Nam illud Apoſtoli ſi fit verum, quod profectò eſt veriſſimum, [b] *Quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam et conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*; certè et Scripta, et Dicta, et Facta *Prophetarum*, ad noſtram *Doctrinam* omnia ſunt, omnia nobis propoſita vnde quod imitemur capiamus, inde dignum incœptu, dignũ exitu quod ſequamur. Quid quod in divinis Literis cum vnicuique hominum generi ſua ſeorſim *Paſcua* ſint; Publicanis, Piſcatoribus, Tabernaculorum opificibus, Illiteratis; quidni et Eruditis, et Academicis, et Theologis ſua ſint, et illa præcipuè ſua, quæ à Prophetarum Scholis et Collegijs velut Exempla ſumi poſſunt. Quod *Booz* ad *Ruthum* itaq; *Rutha*, Secundi, Octavo, *Audi filia ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, ſed iungere puellis meis*, id mihi viſus eſt Spiritus Sanctus dicere hoc in tempore vobis *Patres*, *Fratres* vobis, Audite Filij, audite Patres, ne nunc vadatis in alterum agrum ad colligendum, nec recedatis ab hoc loco; jungamini Vos *Patres*, *Prophetæ Eliſeo*: Vos autem *Filij*, *Filijs Prophetarum*, et vt *Gedeon* olim apud ſuos [c] *Quod me facere videritis, hoc facite*, id vos *Patres*, id vos *Filij*, quod *Eliſeus*, *quod* Filij, et *Eliſei*, et *Prophetarum*, ſeriò & ſedulò faciatis.

[a] *Ambroſ de Dignit. Sacerd. c. 1.*

[b] Rom. 15. 5.

[c] Iudg 7. 17.

Sed videndum prius quid fecerint, quàm quod fece-
rint imitandum, nam vt [a] *Ignoti cupido nulla*, ita nulla
planè imitatio: Factis autem præibant. Dicta, primùm
itaq; videamus quid dixerint.

[a] Ovid. de art. lib. 3.

Dixerunt autem Filij Prophetarum ad Eliseum, Ecce, locus in quo habitamus coràm te, angustus est nobis. Eamus vsq; ad Iordanem, & tollant singuli de sylva materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu tùm Seruis tuis. Respondit: ego Veniam.

Hæc dixerunt vtiq; tum Propheta *Eliseus*, tum *Pro-
phetarum Filij*, sequuntur Facta.

Et abijt cum eis, quumq; venissent ad Iordanem, cædebant ligna.

Quibus tum in *Dictis* tum etiam in *Factis* vt certos
mihi fines & terminos constituam extra quos non pos-
sim egredi si maximè velim; totam argumenti mei dictio-
nem certas in partes dividam, ut et mihi sint propositæ
de quibus dicam, et Vos jam ante animo prospicere pos-
sitis quibus de rebus estis audituri. Dicendum itaq; *pri-
mò* de Prophetico hoc Contubernio cujusmodi fuerit,
Eliseus quis, qui Filij Prophetarum; *tum* de Ædificijs
Contubernij hujus quàm arcta fuerint & angusta; *ter-
tio* de Consilijs inter se de amplioribus extruendis; *po-
stremò* de Factis tum Elisei, tum Filiorum Prophetarum,
in ijsdem perficiendis: de quibus dum breviter dicam, et
dicam sanè quàm brevissimè, queso quod facitis, quod-
que feci stis, attendite. *Dixerunt autem Filij Prophetarum
ad Eliseum, &c.*

Pri-

Primus qui occurrit omnium in Instrumento veteri Locus, Prophetarum Contubernij mentionem faciens est Primi, *Samuelis*, Caput decimum, vbi illius Capitis Versu quinto, *Samuel* ad *Saulem*, *Pervenies*, inquit, *ad collem ipsum Dei vbi sunt stationarij milites Philistæorum: eritq; ibi cum ingressus fueris civitatem, vt occurras turbæ Prophetarum descendentium de illo excelso, cum nablio, & cum tympano, & tybia, et cithara ante se, qui prophetabunt.* Quæ quidem Prophetarum Turba non sic intelligenda est quasi tum primùm nata fuerit, simulq; et semel procreata, vt de *Melchisidecho* scriptum legimus, *Sine Patre, sine Matre, sine Genere*, ad Hebræos Septimi, Versu tertio: semina longè prius fuere jacta ex quibus tanta Robora facta sunt, & ab exiguis profectum initijs est quod in tantam excrevit molem. Exemplo poterit esse Propheta iste *Samuel* qui Puer erat, admodum Puer cum[e] *à matre introductus esset in domum Iehovæ in Silo vt tabernaculis inserviret: Silo* autem Prophetarum Schola fuit, et vt *Silo* fuit Prophetarum Schola, sic *Hierosolyma* fuit, sic *Bethel*, sic *Ierico*, *Gilgal*, *Iabez*, *Naioth*, non omnes quidem eodem tempore, sed aliæ nunc, nunc aliæ, publicę pro temporibus illis, et celeberrimę Academię. Atq; hinc *Prophetæ*, et *Filij Prophetarũ*, non quod omnes *Prophetaverint*, id est, futura prædixerint, vt *Zacharias* prophetâsse dicitur *Lucæ*, Primi, Sexagesimo septimo, sed quod Jehovæ laudes celebraverint, idq; aut[f] *Canendo*, aut[g] *Psallendo*, aut[h] *Prædicando*, aut[i] *Precando*; nam omnia hæc Prophetia et notat et significat. Vnde *Aquinas* minimè malè, *Prophetia quædam*,[l] inquit, *de futuro est, quædam de præterito, quædam de præsenti. De futuro, vt Esaiæ illud*, Ecce Virgo concipiet: *de præterito, vt Mosis illud*

[e] 1. Sam. 1. 24.
[f] 1. Sam. 10. 5.
[g] 1. Chr. 25. 1.
[h] 1. Cor. 14. 1.
[i] 1. Reg. 18. 29. & v. 26.
[l] Aquin. 2ª. 2ª. Qu. 171. art. 3.

lud, In principio creavit Deus cœlum & terram: *de præsenti, vt Apostoli illud*, Si omnes Prophetent, *& quæ sequuntur*, Primæ ad Corinthios, Decimi quarti, Vicesimo quarto.

Quo minùs à reprehensione temeritatis absunt, qui omnia nunc dierum *Prophetarum* Officia (id est, enim *Ministrorum*) Concionando definiant, quasi qui hoc præstare nequeat, & profari de suggestu, *Minister* vtiq; non sit, vtcunq; aliàs non ineptus, imò *Epaminondæ* fortè non absimilis, de [m] quo *Spintharus* ille *Tarentinus*, *In neminem se hominem suæ ætatis incidisse qui et plura noßet et pauciora loqueretur. Num omnes Apostoli?* [n] inquit Apostolus ad Corinthios, *Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores? Num omnes sunt Potestates? Num omnes donum habent sanationum? Num omnes linguis loquuntur? Num omnes interpretantur?* Verum est ibi optare illum, [o] *Studiosos eos velle esse Donorum potiorum*, sed non cuiusvis potiri illis, & *Ministrorum* ingenia nempe vt Hominum, sunt veluti Regiones, de quibus [p] Rex ille Poetarum,

Hîc segetes, illîc veniunt felicius Vuæ,
Arborei Fœtus alibi, atq; iniussa virescunt
Gramina.

Rectè [q] *Seneca* de *Eloquentia*; ego de *Theologia* dixerim, *Magnam et variam rem esse, nec adhuc vlli sic indulsisse vt tota tontingeret. Satis felix est qui in aliquam eius partem est receptus.* Quid quod in * *Concionando*, vt nunc sunt tempora, et vt nimium multi concionâtur, Fortunę Ecclesiæ noy sunt positę. Ideoq; prudenter Episcopus ille, eo in tempore *Londinensis*, CANTVARIENSIS paulò post, qui in Colloquio *Hamptonensi*, à Serenissima *Maiestate Regia* petens, vt nunc aliquando [r] *Precarium*, sive *Preca-*

[m] *Plutarch. de Socrat. genio.*

[n] 1.Cor.12.29

[o] 1.Cor.12.31

[p] *Virg. Georg. lib.1.*

[q] *Senec. Controvers.l.3. Proœm.*

* Absiste moveri. Nihil cõtra Concienes hic, vel dictum, vel factum, vel cuspidem, *sed præposteros quosdam Concionum Zelotes.*

[r] A Praying ministery. *Conference at Hampton Court. p 53*

talium haberemus *Ministerium*: *Nam cum multa*, inquit, *præclara à Ministris præstanda sunt, vt Absolutio Pœnitentium, pro Populo Supplicatio, eiusdem Benedictio, Administratio Sacramentorum, et quæ his similia sunt; nunc eò res vedijt vt quidam hominum vnicum illud Ministri Officium putent Concionari è suggestu, quod perficiunt sanè quãdoq; valdè ineptè et indoctè, idq; tantâ cum iniuriâ et præiudicio* OFFICIORVM DIVINORVM, *vt in Cœmiterio nonnulli illorum obambulare soleant, donec tempus est Concionandi, potiùs quàm ijsdem* OFFICIIS *vel interesse omninò velint.* Quod *Amplitudo* illius de *Ministris* quibusdam, id de quibusdam è Populo perinde dici potest: nam nisi Concio habenda fit, permultis sanè in Ecclesijs quàm magna paucitas! quàm solitudo! at in DIVINIS OFFICIIS tamen quid non ad Salutem Animarum? Primùm CONFESSIO GENERALIS ad cœlestis Clementiæ thronum; tum ABSOLVTIO; pòst ORATIO DOMINICA; deinde PSALMI; Psalmos sequuntur LECTIONES DVÆ, altera ex *Veteri*, ex *Novo* Instrumento altera, vtraq; Verbum Dei purum putum, quemadmodum et HYMNI etiam sequentes illas, et PORTIONES *Scripturarum* aliæ sequentes Hymnos. Quid non hîc aliundè ad Fidei stomachum faciens, nisi *Eruditi bonis* illum commoveat fames,

[s] *Ingẽpulis epulas quærat, quodq; Vrbibus esse,*
Quodq; satis poterat Populo, non sufficit vni. [s] Ovid Met. l. 8

At nihil hîc ad Palatum eorum, planè nihil:

[t] *Plus cupit, appositis queritur iciunia mensis;* [t] Ovid. lib.

Conciones, Conciones, clamitant: et vt *Rachel* [u] olim Marito suo, *Cedo mihi Liberos, sin minus mortua sum*; ita [u] Gen. 30. 1.

illi, nisi illas, planè mortui. Qui vt [x] loquitur Apostolus *Si habeant Prophetiam et noverint mysteria omnia, omnemq; cognitionem, et si habeant totam Fidem adeò vt montes transferant*, Conciones autem non habeant, *nihil sunt*: et *si insumant alendis egenis omnes facultates suas, et si tradant corpora sua vt comburantur*, Conciones autem non habeant, *hoc nihil illis prodest*. Et quid tandem prosunt illis tot quas habent et habuerunt, *Myriades* Concionum? Qui proventus illarum? Quæ vtilitas? An *Invisere Orphanos et Viduas in afflictione ipsorum, et immaculatos seipsos seruare à mundo*, vt de Religione vera verè [y] *Iacobus*? An vt quæ acceperunt à Ministris, operibus exequantur, et collatam in se gratiam officijs repræsentent, vt elegantur [z] Ambrosius? An cum * *Zacheo* stare & dicere, *Eccè dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*? Vtinam! sed vereor ne Serenissimus *Rex* nimiùm verè, cum ad Petitionem præfatam responderet, *Hypocrisin nostri temporis omnem Religionem in Aure collocare per quam mentus per quàm facilis; at Precatio*, [a] inquit, *quæ exprimit Cordis affectum, et vera Mentis est Devotio, in qua concurrunt, si rectè fiat, et iusta status nostri Consideratio apud Deum, et Examinatio non indebita cui Preces offeramus, et humilis peccatorum Confessio, vnà cum Contritione pro ijsdem et Pœnitentia à Fide non seiuncta, hæc*, inquit, *vt plurimùm laboris & negotij nobis facessens, velut minima Religionis Particula procul à nobis amandatur*. Sed nolo de his plura, ne, quod cuidam de *Prophetis* hîc paulò [b] post Textum, id mihi contingat hoc in tempore, nempe vt *Ferrum* prosiliat de *Manubrio*, de quo scitè, [c] Gregorius, *Securis*, inquit, *manum fugit cum se se increpatio plus-*

quam

[x] 1. Cor. 13. 2.
[y] Iacob. 1. 27.
[z] Ambr. Off. l. 1. c. 32.
* Luc. 19. 8. Vulg.
[a] Vid. Conf. at Hamp. Court p. 54. 55.
[b] 4. Reg. 6. 5.
[c] Greg. Past. Cur. Part. 2. c. 10.

quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrumq; de manubrio prosilit cum de correptione sermo durior excedit. Referenda igitur ad id vnde exijt oratio; redeo itaque nunc ad Filios Prophetarum.

Qui quidem *Prophetarum Filij*, non inde sortiti sunt Nomen suum quòd germani illorum Filij essent & ex eâdem prosapiâ sati, vt *Medici* olim *Medicorum Filij* et dicti sunt et appellati, quia [d] cautum fuit in *Asclepiadarum* Familiâ, ne artem quis et industriam medendi cuiquam communem faceret qui ab eodem non esset exortus genere; sed quod *Prophetis* in * disciplinam traditi tantâ curâ sunt suscepti, ac si ex illis nati essent. *Neq; enim* [c] inquit Ambrosius, *minùs vos diligo quos in Evangelio genui quàm si coniugio suscepissem. Non enim vehementior est Natura ad diligendum quàm Gratia.* Quanquam fieri quidem potuit vt nonnulli è tanto numero Filij etiam germani fuerint, nam et ex Prophetis fuisse qui Vxores habuerint constat è Secundi, Regum, Quarti, Primo: et Regula est à Rabinis tradita (nescio in solidum an vera neene, sed Regula est) nullum Prophetam Patrem suum nomine appellare, nisi et Pater ipse Propheta fuerit. Diximus de Contubernio hoc, de Prophetarum Filijs diximus: *Eliseus* hic qui fuerit, restat vt tertio loco nunc dicamus. *Dixerunt autem Filij Prophetarum ad Eliseum.*

[d] *Aud. Laurea Præfat. in Epit. Galeni Oper.*

* *Filii secundùm Naturam, Filii secundum Doctrinam, Filii secundum imitationem. Aug. cont. Adiman. l. 1. c. 5. Vid. Aug. Retract. l. 1. c. 22.*

[c] *Ambr. Offic. l. 1. c. 7.*

[f] *Baro in Ian. Prælect. 4. p. 21.*

Breve est sed non leve elogium quod *Syracidis* est de *Eliseo*, Ecclesiastici, Quadragesimi-octavi, Decimo-tertio. *Eliseus*, inquit, Syracides, *impletus fuit spiritu sancto adeò vt diebus suis non fuerit commotus à Principibus, neq; dominio abusus sit in eum quisquam. Vllaret non superavit illum, sed cum obdormivisset, prophetavit corpus illius. Et in*

vita sua fecit portenta, & in morte sua mirabilia opera sua.
Quam multa quam paucis! nam in paucis istis ista multa. *Eliseũ* non ab aula Principis, non à Scholis, sed à g stiva, et aratro, vocatum esse ab *Elia*; pallium *Elie* in illum
g 1.Reg.19.19 iniectum esse quo divina facultas et Prophetandi vis de-
h 2.Reg.3.11. signabatur; h obsequutum esse *Elie* quotidiano ministé-
i 1.Reg.19.16 rio; i in Prophetica administratione *Elie* successisse;
l 2.Reg.2.9. l portionem duplam de *Elie* spiritu penès illum fuisse;
m 2.Reg.2.14 m Aquas *Iordanis* divisisse, et siccum transiisse; n *Ierecuntis* aquam sanâsse et saluberrimam reddidisse; o Quadra-
n V.22.
o V.24.
p 2.Reg.3.13. ginta duos Pueros duabus Vrsis commisisse; p *Israelis* Regem corripuisse, eidem tamen et Regi *Iehosophat* Victo-
q 2.Reg.4.3 riam prædixisse; q Viduæ pauperculæ et consulendo et
r V.16. oleo augendo subvenisse; r Hospiti suæ quę sine filio, Fi-
f V.34. lium à Deo obtinuisse; f Eundem mortuum paulò post
t V.41. à mortuis resusc itâsse; t Pultem ex amara amabilem red-
u V.44. didisse; u Viginti panibus centum homines abundè sati-
x 2.Reg.5.15. âsse; x *Naamum Syrium* curâsse à Lepra, eandem in *Gehe-*
y V.27. *si* suum famulum transtulisse; z Securim è fundo Flumi-
z 2.Reg.6.6. nis ligno iniecto revocâsse; a Insidias *Israelitico Regi* à
a V.9. *Syris* structas indicâsse; b *Syriorum* exercitum qui illum
b V.18. caperet, cæcitate percussisse, c affecisse beneficijs, et cum
c V.22. perdere potuerat, peperciisse. Eccè vobis *Eliseus* quis, a-
d *Virg.Æn.1.1.* deò vt *Dido* apud d Poetam,

Túne ille Æneas quem Dardanio Anchisę
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad undam?

Ita de *Eliseo* dici potest, illum esse *Eliseum*, qui hæc omnia
e 2.Reg.7.1. præstiterit, et præter omnia hæc, e qui de maxima et
f V.2. subitanea annonæ Copiâ vaticinatus est; f *Auliti* cujusdam non credentis interitum prædixit, vt et annorum
g 2.Reg.8.1. g septem Famem, et Regni Syriaci h Mutationem, et bar-
h V.10.

ba-

baram illam [l] *Hasaelis* in *Israelitas* Crudelitatem, et Regis *Iohæ* [l] Victorias tres. Deniq; illum esse *Elisæum* cujus Corpus jam sepultum alteri sepeliendo exors vitæ [m] vitam præbuit. Eccè vobis *Elisæus quis*. Atque hæc de Prophetico Contubernio hoc cujusmodi fuerit, *Elisæus quis*, qui Filij Prophetarum: nunc *de Ædificijs Contubernii* quàm arcta fuerint et angusta, ex ijs verbis quæ sequuntur, sequitur vt dicamus. *Eccè locus in quo habitamus coràm te angustus est nobis.*

Væ [n] inquit Propheta, *coniungentibus domum domui, agrum agro adhibentibus, donec nihil amplius sit loci, et efficiamini habitatores vos soli in media hac terra.* Et certè vt cunq; *Pisoni* magnificentiùs ędificanti, *Animum* [o] inquit Augustus, *exhilaras meum ita ædificans ac si Roma futura sit sempiterna*, ipseque *Augustus* ipsissimam *Romam* quam *Lateritiam accepit*, [p] *Marmoream se relinquere* moriens dixit: est modus in rebus tamen, sunt certi etiam fines, ne ędificando instar *Gygantum* affectantes Cœlos ipsos, aut de nostris dicatur Domicilijs quod de *Antij* olim apud Ennium, sive *Anci*, sive *Anni*, quem *Lucilius* etiam taxat:

[q] *O Domus Anti quàm dispari Domino dominaris?*

aut quod Deus minitatur apud Mosem, *Domum ædificabis sed non inhabitabis eam*, Deuteronomij, Vicesimi-octavi, Versu tricesimo. Et certè quot sunt hodiè qui tam ædificant, ac si ipsi soli habitare hac in terra moliantur? Quid non diruunt? Quid non mutant? Quæ cum ad exicum perduxerunt, aut nesciunt quibus relinquant, aut relinquunt * Filijs, sed Decoctoribus, aut Vivi amittunt ipsi & penitùs disperdunt. Prudentiùs itaque illi qui publica Ædificia, quàm Privata, [r] Vrbem totam, quàm

l V. 12.
l 2. Reg. 13. 19
m V. 21.
n Esay. 5. 8.
o Plutarch. Apoph.
p Τὸν Αὔγουστον ὑπολαμβάνω μεγαλαυχεῖν ἀπὸ πλίνθου λαβόντα τὴν ἀρχὴν ἐπὶ μαρμάρου καταλιπεῖν, Xiphilinus in Augusto.
q Sic Erasmus legit, non, O antiqua domus, vt vulgò. Carmen Ennij est, sublato s. in dispari more Ennio vt alibi, Dono ducite, doq; volentibus cum magnis Dijs. Vide Erasm Chiliad. l. 7. Adag. 63. p. 985.
* Omitto dicere qualibus Filijs, ne fortè quod congregavit Avaritia: aliis fluendo perdit, quod tu laborando congregasti. Sed omitto hoc. Fortè erunt boni Filij &c. Aug. de Temp. Ser. 50. p. 484.
r Laur. Humf. de Nobil. l. 3.

Domum ſuam ornari maluerunt, ſic *Ariſtides*, *Pericles*, Athenis: ſic *Curius*, *Fabricius*, Romæ: quorum in Edibus nihil ornatum præter ipſos, nihil ſplendidum. Atque hic hoc ipſo in loco Prophetarum Animus, qui quod eſt publici juris, et quod neceſſe eſt ſatagunt, *Neq; enim reprehendi poteſt*, inquit doctiſſimus [f] Interpres, *ſi is cui magna eſt Familia ampla etiam domo vtatur, ſed cum Homines ambitione elati acceſſionem ſupervacaneam ædibus faciunt tantùm quo laxiùs habitent.* Acceſſio verò hæc quàm minimè fuerit ſupervacanea teſtantur verba hîc Prophetarum, *Eccè locus in quo habitamus coràm te anguſtus eſt nobis.* Vnde autem hæ anguſtiæ? Vnde habitandi difficultas? Quid? An quæ illis in votis priùs, nunc minimè perplacebant? An aſſiduitate quotidiana & conſuetudine oculorum ita animi aſſueſcebant, vt nihil illorum admirarentur jam quæ priùs in delicijs habuerunt? An tam ridiculè inconſtantes erant vt cum Poeta leviſſimè

[f] Calvin in E. ſaj. 5. 8.

[t] Horat. Epiſt. l. 1. ad Celſum.

[t] *Romæ Tybur ament, ventoſi Tybure Romam;*

Aut cupiditatis tam improbæ,

[u] Horat. Serm. l. 2. Sat. 6.

[u] *O ſi angulus ille*
Proximus accedat qui nunc deformat agellum.

Abſit vt tanta illis aut inconſtantia, aut mutabilitas mentis, aut ſententiarum commutatio, aut ædificandi prurigo, aut alieni appetitio fuerit. Neceſſitas erat procul dubio, procul dubio neceſſitas erat, quæ illorum animos huc impulit, id eſt, Omnium vndiq; concurſus illuc (omnia tam prudenter adminiſtrante Propheta) tanquam ad bonarum Artium mercaturam. Atq; hinc anguſtiæ illæ, hinc habitandi difficultas.

Sunt, fateor, qui exiſtiment Multitudinis tantæ cauſam, *Gehezi* expulſionem, qui Lepra jam percuſſus, impe-

di-

dimento minimè fuit, quo minùs ſine largitione et corruptela ad Collegium hoc aditus fieret, et certè Capite [a] præcedente de Muneribus à *Gehesi* acceptis, et de *Gehesi* Lepra dictum fuit. Cęterùm illa an fuerit Cauſa, neq; affirmare eſt animus, neq; refellere, hoc certò certius, Cauſam fuiſſe *Eliſeum*, cujus Imperium tam laudatum, rerum adminiſtratio tam præclara. Tritum ſermone Proverbium, *Magiſtratus indicat Virũ*, quod quidam *Pittaco Mitilyneo*, quidam *Soloni* tribuunt, *Ariſtoteles* Moralium, Quinti, Capite primo, *Biantis* citavit nomine. Cujuſcunq; demùm fuit, fuit certè Sapientis, et eſt veriſſima; privata enim in Vita vix aut ne vix quidem perſpici poſſunt hominum Mores & Ingenium, verùm ijſdem committas Imperium, et quod libet ſemel liceat, tum demùm noveris eos intùs & in cute, nullis tum Feneſtris opus (ne Momo quidem) vt quid ſit intùs perſpiciat. Eleganter Plutarchus, *Sicut inter vaſa*, inquit, *vacua non facilè diſcernere poſſis quod eorum integrum ſit, quod vitioſum, vbi autem aliquid infuderis ſtatim apparet quod perfluat: ita Animæ fatiſcentes rimis*, inquit, *infuſam potentiam non continent, ſed cupiditatibus, iris, arrogantijs, ineptijs, foràs diffluunt*. Neq; Magiſtratus modò indicat Virum, ſed quod animadvertit [b] Epaminondas, *Vir etiam Magiſtratum*: et certè Magiſtratum hunc minimè fuiſſe contemnendum quàm indicavit hic Vir. Honoribus alij ſine dubio tum temporis, vt et nunc dierum, ſublimabantur, de gradu in gradum per omnia Officia in Pontificatum dilabantur, *Ambitionis ſaltugo*, vt loquitur [a] Cyprianus, *bibulam animam occupabat, vt per fas & nefas ad loca ſuperiora et iam de latebris eremi nonnulli ſe ingererent, et de omni gradu vbi aliquis pateret aditus anheli prodirent*.

[a] 2. Reg. 5. 26.

[y] Plut. Moral. ad Princip. inducd.

[b] Plut. Moral. Reſp. gerend. Præcep.

[a] Cyp. de Natiu. Chriſt. in Prob.

rent. Prophetâ hic nihil huiusmodi, *Collegium* sat illi, sat illi Scholæ Præfectura; quam verisimile est, illum tam sæpius cum *Davide* aut dixerit, aut dixisse videri potuerit,[b] *Funiculi acciderunt mihi in amœnis, etiam possessio mea elegans est pro me*. Et sanè Honor Dei si *Meta* et *Scopus* est quò spectamus, et illius Servitus unicum nostrum quò tendimus Propositum, quid tanquam[c] *Canes quicquid excepimus protinùs integrum devoramus, et semper ad spem futuri* infaturabiliter *hiamus*. Præclarè *Cyneas*, qui cum *Pyrrus* tot Victorias de *Romanis*, de *Italia*, de *Sicilia*, *Africa*, *Carthagine*, *Macedonia*, animo agitaret, et tum demùm multo otio ac quotidiano Potu, ac Colloquijs frui se velle diceret, *Quid ergo obstat*, inquit Cyneas, *quin iam conviuemur, et in otio nos invicem oblectemus, cum iam in promptu id nobis sit, possimusque eo sine vllo labore frui quod multo sanguine, multisq; erumnis, quæsitum imus, multa alijs mala illaturi, multa ipsi invicem passuri*. Certè in *Ecclesia* Dei tot Præfecturas, tot Dignitates nactis si Deo servire tùm propositum, quin toti serviamus nunc, cum nunc in promptu id nobis sit, possimusq; eo sine vllo labore frui quod multâ invidiâ, multisq; erumnis quæsitum imus, multa alijs mala illaturi, * multa fortassis & ipsi passuri. Eleganter[c] Augustinus, *Nonne in corporibus Hominum satius est modicam staturam cum sanitate habere quàm ad molem aliquam Gyganteam perpetuis afflictionibus pervenire, nec cum perveneris requiescere, sed quantò grandioribus membris, tantò maioribus agitari malis?*

[b] Ps. 16. 6.

[c] Senec. Epist. l. 10. ep. 73.

[d] Plut. in Pyrrh.

* Per quot pericula perveniatur ad grandius periculum. Aug. Conf. l. 8. c. 6.

[c] Aug. de Civ. Dei, l. 3. c. 10.

Sed quid ago? Quò feror? Animus erat *de Ædificijs Contuberny* hujus quàm arcta fuerint et angusta paucis dicere, et certè de angustijs illis dixi paucis, de arctis itaq;

et

et angustis, illa angusta & arcta satis: accedamus nunc ad illorum *Consilia* quæ cum de amplioribus fuerint extruendis, amplior dabitur et patentior Campus in quo oratio excurrere possit. *Eamus vsq; ad Iordanem, et tollant singuli de Sylva materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum; qui dixit, Ite. Et ait vnus ex illis, Veni ergo & tu cum Seruis tuis, respondit, Ego veniam.* Vbi *primùm* Impetrandi venia, *tùm* Modestia impetrantium *pòst* Responsio Elisei, suo sunt ordine pertractandæ. *Eamus vsq; ad Iordanem, et tollant singuli de Sylva materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum.*

Quod ad Impetrandi veniam spectat, nulla hîc satagendi Protervia, nulla præpropera Festinatio, Magistratu inconsulto nihil agunt, ne tentant quidem. *Eamus* inquiunt, quasi dixerint, si non permittis, non imus. Debitus nimirùm Magistratui honos, vices enim gerit Dei: itaq; multus est Apostolus hac in re decimitertij ad Romanos à Versu primo ad Octavum. Fateor eo tempore Reges *Israeliticos* impios fuisse ac idololatras, nec ab ijs petijsse veniam hos, ne conatos esse quidem, nam cui bono? *Iusta*,[f] inquit ille, *ab iniustis petere insipientia est.* Instar Regum hîc Propheta qui rebus sic stantibus *à Iove* jam non *tertius*, secundus ab illo fuit. Proximè ad Deum accessit Elisæus, et hoc ipsis proculdubio non permisit sine Numine, sine Deo, *Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei Homines*, Secundæ, Petri, Primi, Vicesimo primo.

[f] Plaut. Amphyt. in Prol.

Sed Modestia impetrantium singularis est et præstantissima, *Veni ergo et tu cum Seruis tuis.* Servos se appellant qui fortasse coetanei, fortassis æquales, proculdubio

dubio Filij erant. Jam vt Salvator noster Christus, *Servus non manet in domo perpetuò, Filius manet perpetuò*, Ioannis, Octavi, Tricesimo-quinto, ita multum sanè discriminis inter Servum et Filium, sed videte quid possint affectus. Nempe vt *Phædra* olim apud [s] Poetam,

[s] *Sen. Hippolyt. Act. 2. Sc.* Quis me dolori?

Matris superbum est Nomen et nimium potens,
Nostros humilius Nomen affectus decet:
Me vel Sororem Hippolyte, vel Famulam voca,
Famulamq; potius, omne servitium feram:

Ita et hic *Prophetarum Filij*, sed in re meliuscula, ne Venenum libidinis plus posse, quam Flamma charitatis existimetur. *Veni ergo et tu cum Servis tuis.* Huj Servis? *Servorum vis*, [h] inquit ille, *et Fortunæ conditio infima est.* Molebant *Serui* apud [i] Judeos, vt et apud Græcos, et Romanos: *Serui* Quadrupedibus olim lege [l] adæquati. Nimiæ profecto, nimiæ (dixerit non nemo) Exemplar modestiæ, animus huic demissus nimis, nihil tam abiectum debuit, tam humile cogitare *Prophetæ Filius*; Os homini sublime datum, omnes Animæ intellectivæ ejusdem sociæ dignitatis. Ita Sanguis, ita Caro, sed quid *Propheta* Regius? quid *Dauid* in re persimili? [m] *Quo abiecero me adhuc amplius, et fuero humilior ante oculos meos, eò glorioſior ero*, et fuit profectò glorioſissimus. Apagè ergo istas voces [n] *Tam ego homo sum quam tu*, et [o] *Iam excessit mihi ætas è magisterio tuo*, et [p] *Quânam transivit spiritus Iehouæ à me vt alloqueretur te?* nam quid arrogantius? quid impudentius? Loquere tu cum *Prophetæ Filio* hîc modestè, et abstinenter, præcipuè cum *Eliseum*, cum *Præfectum* tuum alloqueris. Aut si cum *Prophetæ Filio* loqui non placet, at loquere cum Abrahamo, ([q] *Num tu maior es patre illo nostro Abraham?*) qui alios alloquutus,

[h] *Cic. pro L. Cornel. Balbo.*
[i] *Illyr. Clau. Script. de Neceſſ. cogniti. Tract. 6. p. 336.*
[l] *Iuſtin. Inſt. l. 4. tit. 3. p. 339.*
[m] *2. Sam. 6. 22*
[n] *Plaut. Aſin. Act. 2. Sc.* Quid hoc.
[o] *Plaut. Bacchid. Act. 1. Sc.* Iamdudum.
[p] *1. Reg. 22. 24*
[q] *Ioh. 8. 53.*

An-

Angelos fateor, sed quos nescivit Angelos, superiores quidem agnovit, *Domine mei*, [r] inquit, *si nunc inveni gratiam in oculis tuis* (Synthesis in numero non incongrua) *ne quæso prætereas à Servo tuo*: et verbis subsequentibus, [s] *Sumatur iam parum aquæ*, inquit, *et lavate pedes vestros atq; innitimini sub hac arbore, quandoquidem transitis præter Servum vestrum.* Et quid dignitatis jam diminuit Abrahamo loquendi genus hoc? Quid illi derogavit? Imò quàm extulit potius, et illustrem fecit? Nam cui ignotum *Servitutem* hanc *Ex animo fuisse, non ex necessitate*, vt loquitur [t] Ambrosius, et dixisse Abrahamum *Servum* se, virtute charitatis, non vilitate conditionis. Sed venio nunc ad *Eliśei* Responsionem, *Ite, et ego veniam. Qui dixit, Ite: et ait vnus ex illis, veni ergo et tu cum Servis tuis, respondit, Ego veniam.*

[r] Gen. 18.3.

[s] Ver. 4.

[t] Amb. Epist. l. 5 ep. 20.

Insignis ignominiæ nota fuit quam Nabali invsit, Servus cum de illo prædicaret, *Nequiorem esse eum, quàm vt illum alloqueretur*, vel vt * Vulgata Versio significantiùs, *Ipse est filius Belial ita vt nemo possit ei loqui.* Et sunt quidem qui vsq; eò difficiles et morosi sunt vt non irascantur solùm suis intempestivè et sine causa, sed nihil loquuntur nisi Lapides, nisi Grandines et Fulmina, *Ac tonant*, [u] inquit quidam, *non loquuntur, de quibus Solomon,* [x] *In ore stulti baculus superbiæ.* Sunt qui ex altera parte dedignentur cum Famulis loqui; vt *Pallas ille* Libertus Claudij, qui *ne vocem videlicet* [y] *consociaret, nutu, aut manu, quicquid vellet significavit.* Male morata hominum Genera, et humanitatis expertia, quin ad ipsos *Sauromatas* releganda vbi pares cum paribus facillimè congregentur. Præclarè Antonio Marcus Tullius, *Vereor*, [z] inquit, *nè ignorans verum iter Gloriæ, metui à Civibus*

* 1. Sam. 25. 17

[u] Laur. Humf. de Nob. l. 3. pag. 321.

[x] Prov. 14. 3.

[y] Tacit. Annal. l. 13.

[z] M. T. C. Philip. 1.

tuis quàm diligi malis. Quod si ita putas totum ignoras viam Gloriæ. Charum esse Ciuibus, benè de Republica mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt: metui vero et in odio eſſe invidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum, quod videbamus etiam in Fabulis ipſis illis qui Oderint, dum metuant, dixerint, pernicioſum fuiſſe. Alius hîc Prophetæ candor, atq; ille quidem maximus, qui et tulerit ſuos loquentes ſibi, et eſt viciſſim alloquutus. Et ſanè *dictu eſt difficile,*

[a] Cic. Offic. l. 2. vt idem Marcus Tullius, *quantoperè conciliet animos hominum Comitas, Affabilitaſq; ſermonis.* Demea hoc expertus qui primò nimium durus præter æquumque et bonum, tandem vt eſt in Fabulis meditabatur eſſe affabilis, et benè proceſſit,

[b] Terent. Adelp Act. 5. Sc. 6. [b] *Paulatim plebem primulùm fecit ſuam.*

[c] Ambr. Offic. l. 2. c. 7. *Legimus,* inquit [c] Ambroſius, *non ſolùm in privatis, ſed etiam in ipſis Regibus, quantùm Facilitas blandæ affabilitatis perfecerit, aut Superbia, verborumq; obfuerit tumor, vt regna ipſa labefactaret, et poteſtatem ſolveret:* Severitas, fateor, Viros primarios decet, ſed quæ Clementiâ ſit temperata, et

[d] Terent. Andr. Act. 1. Sc. 1. [d] *Apprimè in vita vtile eſt, vt Ne quid nimis. Audi*

[e] Bernard Sententi. p. 121. Col 4. inquit [e] Bernardus, *ſapientem Medicum qui et ipſum docet Iuſtitiæ ſanguinem minuendum:* Noli *inquit,* nimiùm eſſe juſtus. *Simile eſt et illud Apoſtoli,* Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. *Cui putas venæ parcendum eſt, ſi Iuſtitia et Sapientia egent minutione, quis enim ſanguis vtilior? Illud tamen memento, nec nimis iuſtum, iuſtum, nec ebriam, vt ita loquar, Sapientiam, Sapientiam nominari.* Iuellus noſter in Epiſcopatu maluit ſuos quàm ſe aſperius agere, vnde ad *D. Parkhurſtum* Epiſcopũ Nordovicenſem, *Sit,* inquit, *Cancellarius tuus durior, tu mitior; ille ſecet, tu mederis; ille cultro vtatur, tu cata-*

[f] Laur. Humf. Vita Iuelli. pag. 248.

plaſ-

plasmate; prudens Clementia, clemens Prudentia, non rigida severitas aut diritas prævalebit. Machinâ vnus movebit plus, quàm Sex manus: præstat viribus et fortitudini Prudentia cum Humanitate coniuncta. Vidimus quid dixerint, tum *Propheta* hic *Eliseus*, tum *Prophetarum Filij*; videamus jam quid fecerint. *Et abyit cum eis, quumq; venissent ad Iordanem, cædebant ligna.*

Dicta fides sequitur. *Credamus* [f] inquit Marcus Tullius, *quia fiat quod dictum est, appellatam Fidem.* Nulla hîc Æquivocatio, mentalis Evasio nulla, nulla in intimis sensibus et cogitationibus Reservatio, plana & sana omnia. Dei Servus, Deo simillimus, [g] *Dixit et factum est.* *Fœderat Cor Linguæ naturæ Sanctio* [h] inquit ille, *veluti in quodam matrimonio, quare cum dissonent Cor et Loquutio, Sermo concipitur in adulterio.* Integer verò et purus Prophetæ Sermo, nec *Eliseus*, et *Prophetarum Filij*, vt Papę et Papistarum, nedum vt *Alexander* ille *Sextus* et germanus illius Filius *Dux Valentianus*, quorum *Alterum*, nunquã quod diceret facere, *Alterum* quod faceret dicere, dixit [i] Historicus fide dignus. *Propheta cum eis abyit*, et in parte laboris aliqua ipse simul esse voluit. Et certè gerendæ res progressus tum faciunt, cum qui Principem obtinent locum ipsi per se gerendis intersunt, nec vicariæ fidei quicquam credunt. Trita est *Æsopi* fabula de Cassita hac in re, cujus & meminit [l] *Aulus Gellius.* Et *Plinius* disserens de ijs temporibus cum Annonę vilitas incredibilis esset per vniversam Italiam, *Causa*, [m] inquit, *vbertatis tantæ, quòd ipsorum tum manibus Imperatorum colebantur agri, gaudente Terra vomere laureato, et triumphali Aratore.* Romani Pontifices, an non et ipsi Romanas res Præsentiâ suâ cõservârint, adjuverint, auxerint? Appello in-

[f] Cic. Offic. l. 1.
[g] Ps. 33. 9.
[h] Vid. Arraignment of Garnet p. 3.
[i] Guicciard. Hist. l. 6.
[l] Aul. Gel. N. A. l. 2. c. 29.
[m] Plin. Hist. Nat. l. 18. c. 3.

illos *Iulium Secundum* qui in Mirandulana obsidione tam fortiter gessit se. *Mirandulam bis concesserat, summa hyeme vim Frigorum Nivisq; perferens, et bellicosi Imperatoris munus verbis factisq; obivit. Et erat notatu dignum hominumq; oculis admodum novum,* inquit [n] Historicus nobilissimus, *Galliæ Regem, prophanum Principem, ætate satis florentem, tunc q; bene valentem, ab ineunte ætate armis educatum, eo tempore domi quiescere, bellum quod præcipuè in se gereretur per Duces administrare, Summum vero Pontificem, Christi in terris vices gerentem, senem atq; ægrotum, in delicijs voluptatibusq; enutritum, ipsum met in bello à seipso contra Christianos excitato, atq; adeo in ipsis castris adignobilis Oppidi obsidionem stare, vbi velut Copiarum Imperator, laboribus periculisq; aditis, nihil præter ornatum nomenq; Pontificis retineret.*

n *Guicciard. Hist. lib. 9.*

o *Virg. Æneid. l. 2.*

o *Sat Patriæ* PETRO q; *datum, si* Ecclesia *dextrâ Defendi posset, certè hâc defensa fuisset.*

Sed ad *Elisæum* revertamur, *Qui abijt cum eis, quúmq; venissent ad Iordanem cædebant ligna.* Bellum spectaculum, Academici, et haud scio an quid jucundius: Ædificantes itaq; nunc Prophetarum Filios intueamur, et partem Muros ducere, moliri arcem, et saxa manibus subvolvere, partem locum aptare tecto, et sulco concludere cogitemus:

p *Virg. Æneid. l. 1.*

p *Qualis apes æstate nova per florea rura*
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt Fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas.

Feruet sine dubio opus: et quod *Augustinus* de Abrahami domo, *Ecce,* q inquit, *ipse Abraham currit, vxor festinat, puer accelerat, nullus est piger in domo sapientis,* ita ne-

q *Aug. De Tem. Ser. 70. p. 519.*

nemo hic piger, nemo iners et ignavus, *Pauculis somnis, pauculis dormitationibus, paucula complicatione manuum subando*, vt per mimesin [r] imitatur *Salomon* voces et voculas Ignavorum.

[r] Prov. 6. 10.

Sed Ædificij futuri locus quare hic ad Iordanem? *Eamus vsq; ad Iordanem*, et, *Ædificemus nobis ibi locum, Quumq; veniſſent ad Iordanem?* Cauſa duplex, *altera* Aquarum vſus, *altera* Sylvarum. *Aquarum* vſus in [f] ædificando tam apprimè eſt neceſſarius vt vni illi commoditati plures aliæ poſthabeantur. Teſtes habeo è Græcis * *Ariſtotelem*, [t] *Plutarchum*; è Romanis [u] *Livium*, [x] *Iulium Cæſarem*, et qui inſtar omnium eſſe poteſt [y] *Caium Plinium ſecundum*. Vſus certè *Sylvarum* non minùs ferè neceſſarius; nam et ædificandi materia inde, et cibos præparandi, et pellendi etiam frigora. *Iordanem* verò vtraq; commoditate hac abundâſſe tum *Aquarum*, tum *Sylvarum*, et [z] *Plinius* teſtis, et [a] *Solinus*, et Propheta *Zacharias*, Capitis vndecimi, Verſu tertio. Sed vt ille apud [b] Poetam.

[f] Pſal. 46. 4. 2. Reg. 2. 19. Ioſh. 15. 19. Iudic. 1. 15.

* *Ariſt. Polit. l. 7. c. 5. et c. 11.*
[t] *Vid. Plut. Moral. An aqua an ignis ſit vtilior & Præcipi Patrit. de Inſtit. Reip. l. 7. tit. 10.*
[u] *Liv. Dec. 1. l. 4.*
[x] *Cæſar. de Bell. Gal. l. 1.*
[y] *Vid. Plin. hiſt. Nat. l. 31. c. 1.*
[z] *Pli. Hiſt. Nat. l. 5. c. 15.*
[a] *Solin. c. 48.*
[b] *Virg. Eclog. 9.*

Carmina tum melius cum venerit ipſe canemus:

Ita de *Aquis* et de *Sylvis* multò melius, cum *Oxonienſis* noſtra THAMESIS in velivolum Flumen et Naviculis ferendis accommodatum [c] aliquando fortè augebitur: vt *Contubernio* hîc Prophetico, hîc *Eliſeis*, et *Filiis Prophetarum* exiſtentibus, ita exiſtat etiam IORDANIS hîc, tam eximiæ ſuavitatis, quàm pergratæ nobis qui nunc vivimus, et omni poſteritati vtilitatis.

[c] *Vid. M. Twyn Antiq. Acad. Oxon. Apol. l. 1. p. 93.*

Atq; hæc habui quæ dicerem, *Patres*, et *Fratres* Colendiſſimi, de Contubernio hoc Prophetico cuiuſmodi fuerit, Eliſeus quis, qui Filij Prophetarum: *de Ædificiis*

Con-

Contubernij hujus quàm arcta fuerint et angusta; de Consilijs inter se de amplioribus extruendis. Ex omnibus Materijs quas suppeditat *Theologia*, hæc mihi visa fuit nunc potissima quæ hoc in tempore pertractetur, tum quòd Propheticum Contubernium hîc, Elisei, et Prophetarum Filij; hîc Ædificia Contubernij huius et arcta satis et angusta; hîc deniq; Consilia nunc, de amplioribus extruendis;

[a] Ovid. de Art. l. 3.

Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est,
Adjicit ornatus proxima quæq; dies.

Propheta Regius cùm Dona Dei tam cumulatè in se collata vidisset vt Beneficij alterius Finis semper gradus futuri esset, admiratione obstupefactus: *Quid* inquit *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*, Psalmi Centesimi decimi-quinti, Versu duodecimo. Non minore sanè debemus et nos esse admiratione obstupefacti de singulis Dei Beneficijs in Academiã hanc collatis. Nam vt Dominus apud [b] Esaiam, *Quid faciendum amplius fuerit Vineæ meæ quod non fecerim in ea*; ita quid faciendum amplius *Academiæ* huic nostræ, quid nobis *Academicis*, quod non in ea, non in nobis fecerit, immo perfecerit? *Vinea est*, [c] inquit Esaias, *Dilecto meo in Clivo vberrimo, quam circummuniuit et elapidauit, consevitq; generosis Vitibus, extruxit Turrim in ea, ac etiam Torcular excidit in ea.* Erigite mentes, Academici, aureſq; vestras, et paulò diligentiùs attendite: nam vt ille olim apud [d] Comicum alia in re, *Mare haud est mare, vos mare acerrumum*, ita loqui hîc liceat, *Domum Israelis, Viros Iehuda*, Vineam haud fuisse, *Academiam* hanc *Vineam* esse; hîc *Clivus* est vberrimus; hîc *Circummunitio*; hîc *Elapidatio*; hîc omnia. *Vberrimus Clivus* hîc, loci est amœnitas,

[b] Esay. 5. 4.

[c] Esay. 5. 4.

[d] Plaut. Asin. Act. 1. Sc. Sicyone.

tas, Amnium, Pratorum, Nemorum, vnde olim [h] BELLOSITVM. *Circummunitio* hîc; Privilegiorum multiplicitas est, per quæ si olim non stetisset, [i] Maceriæ illius jamdudum perruptæ fuissent, & carpsissent eam Viatores omnes. *Elapidatio* hîc, Papistarum expulsio fuit, cum Solum vertere coacti essent [l] *Alanus*, *Sanderus*, *Stapletonus*, *Dormannus*, *Martialis*, *Bristous*, *Belserus*, alij. *Generosæ Vites* hîc, generosissimæ Animæ illæ, Memoriæ augustissimæ, IVELLVS, COOPERVS, *BICKLEIVS, FOXIVS, HVMFREDVS, LILIVS, RAINOLDVS, alij, divina manu hîc sati, et Religionis reviviscentis [m] Propugnatores et Patroni. *Extructa Turris* hîc, Bibliotheca illa BODLEIANA; et *Torcular excisum in ea*, quid nisi tot Classes, tot Myriades in illâ Librorum, *Theologicorum*, *Medicorum*, *Iurisprudentiæ*, *Artium*.

Memini *Lucium Florum* cùm de septem primis Regibus qui Romæ regnabant pertractasset, Ἀνακεφαλαίωσιν instituisse, et quid quisq; illorum Reipublicæ Romanæ quasi Symbolum dedisset, retulisse. *Hac* [n] inquit, *est prima ætas Populi Romani, et quasi Infantia, quam habuit sub Regibus septem; quâdam Fatorum industriâ tam varijs ingenio, vt Reipublicæ ratio et utilitas postulabat. Nam quid Romulo*, inquit, *ardentius? tali opus fuit, ut inuaderet Regnum: quid Numa religiosius? Talem res poposcit, ut ferox Populus Deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? Bellatoribus Viris quàm necessarius, ut acueret ratione virtutem*: sic Ædificatorem *Ancum*; *Tarquinij* Ornamenta, et Insignia; *Seruij* Censum; *Superbi* Dominationem; plurimùm profuisse paucis ostendit.

Habuimus, et Nos, clarissimi Viri, *Viros* atq; *Fœmi-*

[h] *Vid. M. Twyn Antiq. Acad. Oxon. Apol. l. 2. p. 114.*
[i] *Ps. 80. 13.*
[l] *Vid. Sand. de visib. Monarch. Eccl. l. 7. p. 670*
* TH. BICKLEIVS *Theol. Doctor. Primùm Magdalenens. Coll. Soc. deinde Custos Collegii Mert. post* Episcopus *Cicestrens. Obiit Apr. 30. 1596. Annæ natus ferè 90. Vid.* B. Godwin Catal. of the Bish. of Engl. *p. 390. & Laur. Humf. in Vita Iuelli p. 72.*
[m] Esai. 58. 12.
[n] *L. Flor. Hist. l. 1. c. 8.*

nas *Fatorum* dicam *industriâ?* divinâ certè Providentiâ et *Fœminas* et *Viros* tam varios ingenio, vt Academiæ ratio et vtilitas postulavit. Vidit sua OXONIVM primò Rudimenta, deinde Supplementa, pòst Incrementa, nunc Ornamenta.

Aspice quæ nunc sunt Capitolia quæq; fuerunt;
Alterius dices illa fuisse Iovis.

Domicilia primùm deerant; extructa sunt Domicilia: deerant *Salaria*; et illa accesserunt: *Reditus* deerant; accesserunt et illi: accesserunt *Collegia*, accesserunt octodecim *Ædificatores Anci* septendecim *Collegiorum* sub duodecim *Regibus et Reginis*. Sub Henrico tertio o GVLIELMVS DVNELMENSIS; sub Edovardo primo, p IOANNES BALIOLVS, et o GVALTERVS MERTON; sub Edovardo secundo, r GVALTERVS STAPLETON, et f ADAMVS BROWNE; sub Edovardo tertio, t PHILIPPA REGINA, sub Richardo secundo, u GVLIELMVS WICKAM; sub Henrico Quinto, x RICARDVS FLEMMING; sub Henrico sexto, y HENRICVS CHICHESLÆVS, et z GVLIELMVS WAYNFLET; sub Henrico septimo, a GVLIELMVS SMITH, et b RICHARDVS FOXIVS; sub Henrico octavo, c THOMAS WOOLSÆVS; sub Regina Maria, d THOMAS POPVS et c THOMAS WHITVS; sub Elizabetha, f HVGO PRISIVS: sub Jacobo nunc Regnante, g NICOLAVS WADHAM, & clarissima & munificentissima *Coniux* illius DOROTHEA Maritum defunctum sumptibus non tam sequens quàm longè plurimùm supergressa. Deerant *Privilegia*; accesserunt & illa; in dubium vocata sunt

n *Ovid. de Art. lib. 3.*
p *Collegii* VNIVERSITATIS *Aº. Dom. 1219. Cuius prima Fundamenta iecerat Rex* Aluredus, *Aº 873.*
p *Coll.* BALIOLENS. *Aº. 1263.*
q *Coll.* MERTONENS. *Aº. 1276.*
r *Coll.* EXONIENS. *Aº. 1316.*
s *Coll.* ORIELENS. *Aº. 1323.*
t *Coll.* REGINÆ. *Aº. 1340.*
u *Coll.* NOVI. *Aº. 1375.*
x *Coll.* LINCOLN. *A 1420.*
y *Coll.* OMNIVM ANIMAR. *Aº. 1437.*
z *Coll.* MAGDALEN. *Aº. 1459.*
a *Coll.* ÆNEINASI. *Aº. 1513.*
b *Coll.* CORPORIS CHRISTI *Aº. 1516.*
c *Coll.* ÆDIS CHRISTI. *Aº. 1546.*
d *Coll.* TRINITAT. *Aº. 1556.*
e *Coll.* D. IOANNIS. *Aº. 1557.*
f *Coll.* IESV. *Aº 1571.*
g *Coll.* WADHAM. *Aº. 1612.*

sunt, confirmabantur; et quod de *Martyribus* olim [h] *Augustinus*, id de nostris *Privilegijs* dici perinde potest, *Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, multiplicabantur.* Derat Publica *Bibliotheca*; accessit etiam illa; illam verò sive injuriâ Temporum, sive Hominum negligentiâ sive [i] perfidiâ collapsam, quemadmodum reficit & refecit [l] *Ptolomæus* noster Munificentissimus, testes Principes, testes Reges, testes omnes Oræ, Plagæque Mundi, testes Nos qui nunc vivimus, testes futuri Nepotes nostri (vt fas est credere) et omnium Posteritas Sæculorũ. Qui cum eximiam illam et maximè spectabilem reddidisset et supra vota illustrissimam, vt *Marcus Tullius* tamen suo Lentulo, [p] *Ego omni officio, ac potiùs pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio:* ita ille satisfecit cæteris, omnibus satisfecit, Nobis, Academiæ, sibi vni non facit satis. Nova est molitus et quod confieri posse Antiquitas non putavit, nos vidimus, [q] *Apelli in Veneris* Tabula *Apellæan* manum addidit.

[h] *Aug. de Civ. Dei. l. 22. c. 8.*

[i] *Vid. Europæi Orbis Academias Authore* Milione Wind. for *Artium Magistro, & Antiquitatis Studiosissimo*, p. 31.

[l] THOMAS BODLEIVS *Eques Auratus de Academia Oxoniens. totaq; Resp. literaria optimè meritus.*

[p] *Cic. Epist. Fam. Ep. 1.*

[q] *Plin. Hist. Nat. l 35. c. 10.*

[r] *Vid. Sueton. Octav. c. 98.*

I O quem te memorem? neq; enim tam profuit illi,
Quem Maro pro meritis dixerat esse DEVM.

Videtis, *Patres*, et *Fratres* in Christo charissimi, divinissima hunc in locum Beneficia Dei collata, et (fas sit loqui) fortasse conferenda. Videtis cujusmodi fuerint, cujusmodi sint videtis, Multa, Magna, Mira, Maxima. Quid igitur? Quid retribuemus Domino, pro omnibus quę retribuit nobis? *Pro* Contubernio hoc Prophetico cujus singulus quisq; nostrũm vt in sermone vna [s] Litera, ita quasi elementum est; *pro* ejusdem Ædificijs tam ampliter jam extructis, et (si voluerit Deus) etiam ampliùs extruendis; extructis inquam (id quod Prophetarum Filijs

[s] *Aug. de Civ. Dei. l. 4. c. 3.*

hic non contigit) non à nobis ipsis qui fortassis etiam vt
[r] Nehem. 4. 3. ædificemus, si ascendat [r] Vulpes vtiq; perrumperet lapideum Murum nostrum, sed à peritissimis hac in arte vel
[s] Deut. 6. 11. Priscis illis non cedentibus, *Phydijs & Polycletis*; [s] *pro* Cisternis effossis quas non effodimus; *pro* Vineis & olivetis quæ non plantavimus, quid, inquam, retribuemus?
[t] Ps. 115. 13. Vulg. Quid? nisi Prophetæ quod eo loci, [t] *Calicem salutaris accipiam, et Nomen Domini invocabo, vota mea Domino reddam coram omni Populo eius.* Sensus est, inquit Tremellius *Holocaustis et eucharisticis oblatis Deo, epulum sacrũ Populo facere, vt fecisse narratur, Primi Chronicorum, Decimisexti, Prima.* Quid igitur? & illa nos? nos illa facere oportere? Imo alia Mundi nunc Scena, alia nunc rerum facies. *Holocausta* illa, et *Eucharistica*, et *Epula sacra*, et *Vota*,
[y] 2. Cor. 5. 17. Vulg. veluti vetera transierunt, ecce facta sunt, [y] inquit Apostolus, omnia nova. *Holocaustum Deo*, Spiritus *contribulatus, Cor contritum, et humiliatũ*, non Oves, et Boves, et Pecora campi. *Eucharistica Deo*, Deo Laudes, in veritate, et in spiritu, non in velaminibus, aut in figuris. *Epulum Populo*, Populo Dei, Dei Scripturas notas facere: non epulis conquisitissimis mensas extruere. *Vota Domino*, Vota Episcopo sunt, non *Iudaica*, nec *Pontificia*;
[z] The Forme of making Bishops and Priests. Lond. 1552. Vota inquam Episcopo, cum sacris ordinibus initiati coram Deo et Angelis omnes promiserimus [z] *Nos fidelem operam navaturos et Verbum et Sacramenta, et Christi Disciplinam sic semper administrandi, vt Dominus præcepit, & recepit Regnum hoc, secundum Præceptum Domini, ita vt Populum nostræ Curæ commissum diligentissimè instruere possimus ad illa eadem obseruanda.* Hæc sunt nostra *Holocausta*, hæc *Eucharistica* nostra, hæc *Epula*, hæc *Vota*; atq; hæc eò magis à nobis perficienda, ne post omnia quæ fecit

cit Deus, tum Academię, tum Nobis, expectante eodem *vt edamus* [a] *vuas, edamus labruſcas.* Noſtis quid ſequitur, *Iam itaq; notum faciam nunc vobis quid facturus ſim Vineæ meæ, amouebo Sepem, diſrumpam Maceriam, exponam eam deſolationi, non putabitur, neq; reſarrietur, ſed aſſurget Sentis et Vepres*, Eſaiæ, Quinti, Verſu quinto. Scio reſponſuros; Abſit vt huic noſtrę ita faciat: et abſit, abſit, precor, at certè verendum nobis ne hoc aut faciat, aut quod *Saluator* monet alibi, *Veniet et perdet Agricolas et dabit Vineam alijs*, Marci, Duodecimi, Verſu nono.

[a] Eſai. 5. 2.

Faciamus itaq; *Patres* et *Fratres* quod *Eliſeus* hic, quod *Prophetarum Filij*: *Eamus uſq; ad Iordanem et tollamus ſinguli de Sylua materias ſingulas ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*, id eſt, vt alicubi [b] Hieronymus, *Aſcendamus in montem rationabilem, et ad ſingula problemata, congrua de teſtimonijs Scripturarum ligna quærentes præcidamus ea; et ædificemus domum Sapientiæ in nobis.* Atq; id demum ſi fecerîmus, *tùm* prodibit vt ſplendor juſtitia [d] Sionis noſtri, et ſalus Hieroſolymæ noſtræ vt lampas ardebit: *tum* videbunt Gentes juſtitiam noſtram et omnes Reges gloriam noſtram, et indetur nobis nomen novum quod os Jehovæ præfixerit: *tum* deniq; MECÆNATES erunt; aut potius NEHEMIÆ, qui quantum alij, vt Prophetarum Filij docti fiant, in *Collegijs* extruendis, alij in *Stipendijs* Profeſſorum augendis, alij in *Bibliothecis* reficiendis impendunt, tantum illi in recuperando *Beneficia* quæ vocantur *Impropriata*, et Eccleſiæ vindicando, et donando aut Collegijs, aut Collegiorum Alumnis, conferent impendentq; vt docti jam facti, habeant quo ſe ſuſtineant, nec ſint *vel* vt Levita ille Errabunduli, diſcedentes ad peregrinandum vbicunq; inveniant.

[b] Hier. in Agg. 1.

[c] Eſai. 62. 3.

niant commodum, Iudicum, Decimi-septimi, Versu octavo, *vel* vt otiosi illi in foro stantes et culpam prætexentes hoc nomine, *Nemo nos conduxit*, Mathei, Vicesimi, Versu septimo. Verùm illud [e] *Balaami* nunc venit in memoriam, *Eheu quis viuet cum disposuerit hoc Deus fortis?*

[e] *Num.* 24. 23.

Idem DEVS [f] *fortis, et potens, ita Semini huic benedicat, vt apud Pauperiores inter vos, non à* [g] *Sollicitudinibus huius Mundi; apud Ditiores, non à Divitijs; apud vtrosq; vtriusq; generis, non ab illecebris Voluptatum velut à Spinis suffocetur. Amen.*

[f] *Psal.* 23. 8. *Vulg.*
[g] *Luc.* 8. 14.

AD CLARISSIMVM VIRVM D. D. CLAYTON Doctorem Medicinæ, et *Regium* apud Oxonienses in eâdem *Professorem*.

HAbes Clarissime *Clayton*, Concionem hanc meam cujus Auditor eras attentissimus, et quam tantoperè à me petijsti vt fieret, Typis excusam. Placet tibi repetita denuò? Cave dixeris. Nam et *Suppositio* in Schola Theologica, et Oppositionis *Prefatio*, ambæ ambiunt honorem hunc, et vno NOCTIVM mearum ACADEMICARVM Nomine appellari valdè volunt: quin anticipari à *Concione* hac (Priores cum fuerint rempore) molestè ferunt. Hæc contrà, vt olim [a] *Xerxes* Controversiam non de ordine sed de nascendi Fœlicitate refert. Et vt ille *Artemenem*, Primum quidem *Dario*, sed privato provenisse; se *Regi* Primum natum: ita Hæc de se, Se videlicet mihi Primam natam in *Theologia Baccalaureo*. Vide quid te Authore turbarum hic domi, adeò vt nunc quà data porta ruere, et terras turbine perflare gestiant.

[a] *Iust. Hist. l. 2. Herod. l. 7. Vid. Plut. de Frat. benevol.*

[b] *Non nostrum* Has *inter, tantas componere lites.* Quod si pergant, insanire mihi, ac furere videbuntur, et egere Medicina tua. Nam si *in morbis corporis vt quisq; est difficillimus, ita a Medicis* (vt inquit ille) *nobilissimus atq; optimus quaritur*, tu profectò adhibendus illis, cui Salus et *Corporis*, vt plurimis Ordinis tui, et *Animarum*, vt paucis, tam sedulò est proposita.

[b] *Virg. Eclog. 3.*

[c] *Cic. pro Cluet.*

Vale

Vale *Oxoniensium Medicorum Decus*, id est, *Prudentissimorum, Peritissimorumq;*: nam et *hoc Honore condignus est quemcunq;* REX *voluerit honorare*, et cum REGE Academia. *E Coll. Orielens. v° Idus Quint.* eodem die quo *Hippocratis* Aphorismorum Libri Tertij, secundum[e] *Aphorismum* tam eruditè interpretantem te *Pridiè Comitiorum* tam multi audivimus.

[e] Ester. 6. 11.
[e] Τῶν φύσεων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.
[f] *Vulgò*, Vesperijs. *Anglicè*, Act-Saterday

Tui, sive infirmus, sive valuerit, avidissimus,

IOANNES DAYVS.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Quid eruditissimus, simul & clarissimus hic Vir ad hæc *Scriptis* responderit, noveris Amice Lector, si et SVPPOSITIO, et Oppositionis PRÆFATIO sese in Lucem aliquando dederint, interea CONCIONE fruere. Tu verò ne sis nescius, quàm et HÆC, et illæ DVÆ, et ALIA quæ jam Typis mandaverim, apprimè mihi placeant, ecce tibi binis Versiculis istis Animi mei sensum intimum:

[g] *Ovid. de Pont. l. 1. Eleg. 6.*

g *Cùm relego, scripsisse pudet, quia* PLVRIMA *cerno*
Me quoq; qui Scripsi *Iudice, digna lini.*